AD

D. GREGORII MAETTIGII

DE GYMNASIO BUDISSINO IMMORTALITER MERITI

ANNIVERSARIA

DIE XXII. MARTII RITE CELEBRANDA

SUMMOS REI SCHOLASTICAE IN LUSATIA SAXONICA
CUSTODES

SENATUM HUJUS URBIS MAGNIFICUM

CAETEROSQUE SCHOLAE NOSTRAE FAUTORES

COLLEGII NOMINE HUMANISSIME INVITAT SIMULQUE

LUSTRATIONEM VERNAM

QUA DD. XXIII. XXIV. XXVI. MARTII

GYMNASII CIVES SPECTABUNTUR

INDICIT

M. CAROLUS GODOFREDUS SIEBELIS.

Disputationi de RHIANO *subjuncta est brevis horum solemnium et rerum scholasticarum hujus anni narratio.*

BUDISSAE

EX OFFICINA ERNESTI AENOTHEI MONSII

MDCCCXXIX.

CHRISTIANO AUGUSTO BEHRIO,

JUSTISSIMO VERBI DIVINI MINISTRO,

OMNIA AD ECCLESIARUM SCHOLARUMQUE SALUTEM

RELIGIOSISSIME REFERENTI,

AD VERAE RELIGIONIS COGNITIONEM CULTUMQUE

RECTAM VIAM ET VERBIS ET FACTIS MONSTRANTI,

DIUQUE PER FILIUM COLLEGAMQUE JONATHANEM MONSTRATURO,

OB SINGULAREM DOCTRINAM SINCERAMQUE PIETATEM

A RUTHENICIS PRINCIPIBUS

SUO CONSISTORIO A CONSILIIS ESSE JUSSO,

SOCERO SUO DILECTISSIMO

SUMMAQUE REVERENTIA COLENDO

SOLEMNIA SEMISAECULARIA

GRATULATUR

GENER DEDITISSIMUS

C. G. SIEBELIS.

Nil actum reputans si quid superesset agendum.

Lucan.

Quum ad solemnia, quae nobis indicenda sunt, libello aliquo proludendum esset; de *Rhiano*, grammatico et poëta non obscuro, ejusque operibus, quorum nobis et integrae aliquot partes et fragmenta quaedam restant, scribere constituimus, quod neque in carminum Homericorum historia tradenda, neque in rerum Messenicarum, quae non contemnenda pars veteris sunt historiae, fide aestimanda, neque in variis antiquae geographiae locis hujus viri nomen, etiam in Anthologia graeca in scholarum usum curata obvium, silentio potest praeteriri. Quod nomen in Etymologico M. *Ῥειανὸς*, ab aliis rectius *Ῥιανὸς* scriptum, passim quidem in *Ariani* seu *Arriani*, veluti in Athen. III, 82. b. in Polluc. II, 180, in Eustathii Comm. in Dionys. Perieg. 66. 415. et fortasse in Bekkeri Anecd. III, 1182. Scholiisque Venetis ad Iliad. XIX, 119. corruptum, sed ab editoribus vitium correctum vel notatum est. Codex Perusinus Stephani B. v. *Αἱμονία* habet *εὐριανός*. Dicendi autem initium ab iis, quae Suidas de hoc viro refert, repetendis explicandisque faciendum putavimus. Suidas igitur haec habet:

Ῥιανὸς, καὶ Κρὴς ὢν, Βηναῖος· (Βήνη δὲ πόλις Κρήτης)· τινὲς δὲ Κεραΐτην, ἄλλοι δὲ Ἰθωμίης τῆς Μεσσήνης αὐτὸν ἱστόρησαν. οὗτος δὲ ἦν τῆς παλαίστρας πρότερον φύλαξ, καὶ δοῦλος· ὕστερον δὲ παιδευθεὶς ἐγένετο γραμματικὸς, σύγχρονος Ἐρατοσθένους. ἔγραψεν ἔμμετρα ποιήματα· Ἡρακλειάδα ἐν βιβλίοις τέσσαρσι i. e.

Rhianus, qui et Cretensis dicitur, Benaeus fuit. Bene autem urbs Cretae. Nonnulli eum Ceraitem, alii autem Ithome Messeniae urbe oriundum fuisse narrarunt. Hic antea palaestrae custos erat ac servus, postea autem literis institutus a palestra ad grammaticam se contulit et aequalis fuit Eratosthenis. Scripsit praeter alia poëmata et Heracliadem libris IV. Eudocia quoque Suidam sequuta Rhianum *grammaticum Cretensem ex urbe Cretica Bena* dicit, et Pausaniae, qui IV, 1, 4 et 6, 1. eandem Rhiano patriam vindicaverat, auctoritatem jam Stephani B. testimonio, quod et hoc Suidae loco et alio, ubi est *Βήνη, ὄνομα κύριον,* firmari potuit, in Pausaniae editione defendimus. Valckenarius enim quaesierat, num apud Pausaniam pro *Βηναῖος* legendum esset *Λεβηναῖος*. Cujus quaestionis causa latet fortasse in eo, quod Strabo X, 478 (257) *Lebenam* quidem Gortynis emporium, nusquam autem *Benam* in Cretae urbibus commemorat, nec Plinius II, 20. habet nisi *Lebenam* (nunc Liondam?) et *Lebenae* apud ipsum Pausaniam II, 26, 7. fit mentio. Qui nodos conjecturis solvere consueverunt, fortasse Lebenam a Bena diversam non fuisse suspicabuntur; quod enim apud Strabonem de Lebena legimus, idem fere Stephanus B. de Bena tradidit: *Βήνη ὑπὸ Γορτύνην τεταγμένη,* et ut Strabo Pliniusque Benam, ita Stephanus B. Lebenam ignorat. Lebenam in agro Gortyniensi fuisse testatur etiam Philostratus in v. Apol. IV, 11. Quae conjectura si a vero propius abesset, diceremus quidem Rhianum et *Benaeum et Lebenaeum* potuisse appellari, minime autem cum Valckenario, apud Pausaniam *Βηναῖος* in *Λεβηναῖος* mutandum esse. Suidas addit, nonnullos Rhianum *Ceraïtem* esse voluisse; quod quid sit, Strabonis locus X, 476 (239 sq.) docet, ubi *Cnossus* antea *Καίρατος* (media producta v. Callim. h. in Dian. 44.) nominata, idemque nomen fluvio praeterlabenti fuisse dicitur. At non modo in Strabonis ed. Basileensi et in epitome p. 136. Huds. verum etiam in omnibus Strabonis libris teste Tzschuckio *Κέρατος* legitur seu *Κερατός,* et inde gentile esset *Κεραΐτης*. Sed si urbis nomen fuit *Κέρατος,* ex eo formandum fuit vel *Κεράτιος,* ut apud Hesychium, *Κεράτιοι οἱ Κνώσιοι,* vel *Κερατεῖος,* ut

in Virgil. Cir. 113, *Caeratea,* vel *Κερατίτης.* Equidem non habeo, quo illam hujus gentilis formam tuear, si thlipsin prioris τ, qualis est in κέραος et similibus, nolis admittere. Sed erit fortasse qui Cnosios Ceratios vel Ceraïtas malit de vocabulo κέρατος id est Hesychio et Phavorino interpretibus φυτὸν, ᾧ πρὸς τὰ τόξα ἐχρῶντο appellatos esse, pro sua opinione Cnosiis propugnans arcubus; quanquam equidem nescio an probabilior sit hujus nominis derivatio a κέρας *arcus,* ut sint κέρᾳ χρώμενοι, ἔνδοξοι, *sagittarii,* sicut κέρᾳ ἀγλαος Hom. Il. XI, 385. add. IV, 109. Hoc ipsum autem, Rhianum a nonnullis Ceraïtem seu Cnosium dictum esse, confirmat Stephanus B. v. *Βήνη* his verbis: *Ῥιανὸς ὁ ποιητὴς Βηναῖος* ἦν ἢ *Κερεάτης* ἢ *Κρής·* quod non fuit sollicitandum, quum sensus sit: ***Rhianus Benaeus fuit vel Cereates vel simpliciter Cretensis;*** legendum tamen videtur *Κεραΐτης,* nisi sumas, a foeminino urbis nomine *Κερέα* ductum esse illud gentile. Pro *Ἰθώμης* apud Suidam antea vitiose legebatur *Ἰθάκης,* in quo illustrando ac defendendo Berkelius ad Stephanum v. *Ἰθάκη* operam perdidit; hominem autem, qui Messeniorum res carmine persequutus erat, facile quis opinari potuit in Messenia ipsa ejusque urbe bello inclyta natum esse. Si quod deinde Suidas narrat verum est, videtur ita intelligendum esse: *Rhianum antea servum, deinde autem manumissum, palaestrae praefectum seu custodem factum esse.* Num παλαιστροφύλαξ idem fuerit qui xystarcha, quod opinabatur Mercurialis Art. Gymn. I, 12, hunc (xystarcham) dicens plurium exercitationum moderatorem, victorumque et omnium praemiorum decernendorum judicem fuisse, et palaestrae [publicae] curam habuisse, quaerendum videtur, illud autem valde dubium, quod nonnulli crediderunt, xystarcham non diversum fuisse a gymnasiarcha (cf. Periz. ad Aelian. V. H. II, 6), quum gymnasiarchae in numero *δαπανώντων εἰς τὰ δημόσια* fuerint teste Polluce lib. III, cap. 6. Quocunque autem modo de παλαιστροφύλακος munere judicetur, illud certe an sordidum et in iis fuerit, quibus servi etiam functi sint, jure dubitabit, qui servorum ministeria in palaestris a Mercuriali l. c. recensita consideraverit. Itaque Rhianus jam homo sui juris fuisse censendus est, quum factus est custos palaestrae.

A palaestrae autem cura ad grammaticae studium transiit; cui simile exemplum attulerunt hoc e Stephano B. v. Ὑλλάρωμα — Ὅθεν ἦν Ἱεροκλῆς ὁ ἀπὸ ἀθλήσεων ἐπὶ φιλοσοφίαν ἀχθείς. Quam longe autem fines grammaticae a veteribus prolati sint, vel ex his paucis intelligetur, quae et nostrorum adolescentulorum, quibus inprimis prodesse volumus haec scribentes, et eorum gratia, qui vel in his literis non habitant et regnant sed animi sedationem recreationemque quaerunt, vel parum honorifice de grammatici judicant officio, hic colligam. Ad grammaticae igitur disciplinam veteres existimarunt pertinere *poëtarum pertractationem, historiarum et philosophiae cognitionem, verborum interpretationem, criticam, ut de variis lectionibus ac de germanis spuriisque locis scriptisque judicium ferri posset, musicam metri et rythmi causa, astronomiam, quum poëtae saepe de ortu et occasu siderum loquerentur, eloquentiam quandam, ut de his rebus omnibus proprie et copiose dici posset, denique pronunciandi quendam sonum. Praeterea parentes a grammaticis exigebant, ut mores teneros ceu pollice ducerent, ut si quis cera vultum facit, et ut essent patres ipsius coetus, ne hic turpia luderet.* Cf. Juven. Sat. VII. extr. Pauci fortasse cum Quinctiliano dixerunt: *Mihi inter virtutes grammatici habebitur aliqua nescire.* Quoniam autem apud veteres tanti ambitus fuit grammatica, videtur et Quinctilianus jure voluisse, *grammatices amorem et usum lectionis non scholarum temporibus sed vitae spatio terminari*, et Suidas recte scripsisse, Rhianum literas doctum professum esse grammaticam.

Quum inprimis poëtae in puerorum classe interpretandi essent veteribus grammaticis, in iis quod fuerint qui Camoenae spiritu, quo illi pleni aliorum pectus calefecerant, ipsi quoque afflati interdum incalescerent, neminem mirari aequum est. Grammatica enim licet tardo gravique incedat gradu, tamen ab ejus societate et contubernio poësin alis suis superbientem et ad volandum uti gestientem non abhorrere, plura et vetera et recentia exempla docuerunt: Callimachus, Eratosthenes, Apollonius et Simmias Rhodii, Crates Mallotes, Diodorus Tarsensis,

Damocharis non tantum in grammaticorum sed etiam in poëtarum numero sunt habiti; Tyrtaeum nostra maxime aetas grammaticorum choro excludere conata est, scilicet quod traditur διδάσκαλος γραμμάτων fuisse indignum esse putans tanti poëtae nomine: nostra autem memoria J. H. Vossius, ne de vivis dicamus, cum poëtarum interpretatione i. e. grammatica poësin ita copulavit, ut veteres Romani vites cum ulmis. Similiter *Rhianus* grammaticae et poëseos studiis Minerva non invita conjunctis in utroque genere quid posset ostendit, quum non tantum Homericae Iliadis editionem curasset, sed ipse etiam animum ad carmina scribenda appulisset. Suidas ea de re ait: ἔγραψεν ἔμμετρα ποιήματα. quod quale esse videatur, paulo post dicetur; et propter carmina, quae composuit Rhianus, ποιητὴς apud Stephanum B. v. Βήνη, et ἐποποιὸς apud Athenaeum XI, 499, a Wolfio autem in Prolegg. p. CLXXXVIII. *nobilis poëta* appellatur. Magnae vero ei laudi est, quod ejus epigrammata in Meleagri Corona, cui inserta sunt, nominantur σάμψυχον ἀφ' ἡδυπνόοιο Ῥιανοῦ in Anthol. Pal. T. I. p. 69. et in Weicherti Collectione Epigrammatum ex Anth. gr. Pal. p. 1. *Sampsuchum* in floribus coronariis fuisse monet Jacobsius; atque hanc ego quidem laudem pluris fecerim quam cujus testis citatur Suetonius in v. Tiberii c. 70. Quae Rhiani carmina in veterum scriptis commemorentur, postea indicabitur, nunc ad Suidam redeundum est, apud quem vulgo legitur de Rhiano: ἔγραψεν ἔμμετρα ποιήματα. quod cur intactum praetermiserit Jacobsius in Anthologiae gr. T. XIII. p. 945, mirum videri possit, quum multis ante annis Toupius correxisset: ἔγραψεν ἑξαμέτρῳ ποιήματα in Emend. in Suid. III, 398, et Kusterus jam monuisset, *cum omnia poëmata sint ἔμμετρα, alterutram vocem supervacaneam esse.* Contra Barkerus in Gaisfordi Poet. Min. gr. vol. III. p. 473 (271 ed. Lips.) ait: „Recte habet ἔμμετρα ποιήματα.“ sed nihil addit quo id firmetur, satis habens lectores rejecisse ad H. Steph. Thes. II. p. 899. seu T. V. p. 6106 Lond. qui, quoniam ad manum non est, quomodo vulgatam in Suida defendat, dicere non habeo. Vitium, si vitium est, certe inveteravit, nam repetivit Eudocia. Sane poëma sua natura ἔμμετρον est, namque est λέξις ἔμμε-

τρος τὸ λογοειδὲς ἐκβεβηκυῖα (Diog. L. VII, 60) et ἔμμετροι λόγοι in Longini fragm. 2. p. 160. Weisk. sunt *dicta versibus condita;* an vero illud tempus jam tulerit ἄμετρα ποιήματα, recte dubites. Quodsi quis quod apud Suidam tralaticium est neget esse vitium, ei alia utendum interpretatione et dicendum erit, ἔμμετρα ποιήματα hic quidem esse *carmina, in quibus omnia metrorum legibus convenientia sint, quae metricae rationes venustate ac pulcritudine i. e. summa omnium partium convenientia commendent.* Quum mihi de Rhiano non pro illo dicendum sit, quanquam haec interpretatio laudes ejus augeat, tamen lubenter cuique concedam, ut utrum placeat amplectatur, vel neutro probato aliquid utroque melius ipse inveniat. *)

Quod denique ad *aetatem* pertinet Rhiani, Suidas eum aequalem fecit Eratosthenis; hujus vero vitae octoginta annos ab Olympiade 126 usque ad Olympiadem 146 = 276 — 196. a. C. bona prorogavit valitudo; quod idem testatur Suidas nec a Bernhardyo hic contemtus, et a Saxio in Onom. T. I. p. 109. probatus assentiente Weicherto, qui Rhianum Apollonii Rhodii aequalibus accenset p. 247. de vita Apoll.

His quae apud Suidam relata legimus de Rhiano, nam de Heracliade, quam ille unam ex ejus carminibus nominat, paulo post dicendi erit locus, utcunque expositis, jam ad Rhiani opera, quae veteres commemorant, et ad loca, per quae eorum fragmenta dispersa sunt, indicanda videtur transeundum esse. Primum autem locum occupet

Homericae Iliadis recensio, ἡ Ῥιανοῦ seu ἡ κατὰ Ῥιανὸν vulgo dicta, cujus fragmenta in Scholiis Venetis servata indicavit Wolfius in Prolegg. p. CLXXXVIII, quibus adde Scholia Wassenbergii ac Lipsiensia ad Iliad. I, 91. Quam nobis recensionem eodem Wolfio judice fragmenta haec desiderabiliorem faciunt, quam quidquid in hoc genere lusit

---

*) Postquam haec scripta erant, amicus quidam Lipsiensis mecum per literas communicavit locum Stephaniani Thesauri a Barkero citatum, sed nihil in eo mihi reperisse videor, quod ad lectionem in Suida vulgatam defendendam valeat.

Apollonius Rhodius. Consensit Rhianus fere cum Aristarcho, vel Aristophane, vel Zenodoto, vel Antimacho, vel cum Massaliotica; sed solus etiam discessit a Vulgata veluti XXIV, 85; laudant Scholia ejus lectionem XX, 188. additis his: *οὐκ ἀχαρίτως*. In hoc igitur carmine pertractando ac recensendo Rhianus *grammatici* munere functus *grammaticus* recte nominatus est; sed *poëta* etiam propter carmina sua, quae multis probavit, meritus est appellari. *Epici* etiam nomine ornatus est fortasse propter Heracleam et Messeniaca, in quibus Hercules et Aristomenes primas agebant. In reliquis autem suis carminibus videri potest *civitatum origines cecinisse*, ut Apollonius Rhodius; de quo v. diligentissime scriptum a Weicherto librum p. 95.

Carmina Rhiani a veteribus laudata haec sunt:

I. *ἩΡΑΚΛΕΙΑΣ*, *Acta Heraclis.* Citatur hujus carminis, forsitan encyclii, liber *quartus decimus* in Etym. M. p. 153. Suidas igitur, qui non nisi quattuor ei libros dedit, correctus est a Vossio de Hist. graec. Ex *Heraclea* in Athen. III, 82. b. *Sidus*, Corinthiae pagus, et in Etym. M. p. 153. montes *Aseleni* prope Trachinem commemorantur. Ad eandem retulerim primum quod in Scholiis ad Aeschyli VII. Theb. 148, ubi de Oncaea Minerva Thebis culta, et de Oncaeis Thebarum portis sermo est, legitur: *Μέμνηται τούτου καὶ Ἀντίμαχος καὶ Ῥιανός.* Pronomen *τούτου* videtur nos rejicere ad praecedentia, Oncaeam Minervam Thebis cultam esse portasque ibi fuisse Oncaeas nominatas: deinde quod Stephanus B. refert v. *Βεμβῖνα*, pagum vel oppidum hujus nominis in agro fuisse Nemeaeo, gentile autem, quod apud alios sit *Βεμβινήτης*, apud Rhianum esse *Βεμβινάτης*. Quod nomen translatum esse ad *leonem Nemeaeum*, ex alia discimus Heraclea, quam condiderat Panyasis, in qua eodem teste Stephano ille leo *Βεμβινήτης* vocatus est. Eodem fortasse pertinent quae et Scholia in Homeri Iliadem ab Im. Bekkero recensita ad XIX, 119. de *Hercule* post Eurystheum nato et illi subjecto narrant cum hoc additamento: *ἡ ἱστορία παρὰ Ἀριανῷ*, pro quo Bekkerus legendum suspicatur *παρὰ Ῥιανῷ*: et Stephanus B. v. *Ἀράκυνθος* habet; quem locum fragmentis incertae sedis addidi.

II. *ΘΕΣΣΑΛΙΚΑ.* In limine hujus poematis fragmentum insigne de priscis Thessaliae nominibus eorumque auctoribus, quod nobis scholiastes ad Apollon. Rh. III, 1090. servavit, positum fuisse cum Jacobsio existimamus. Ad eundem locum haud dubie respexit Stephanus B. v. *Αἱμονία*, ubi idem e Rhiano de Pelasgo, Haemone ac Thessalo affertur hoc uno discrimine, quod Haemo Pelasgi non filius sed nepos ex filio Chloro perhibetur. Quanquam autem Chlorum Rhianus ignoravit, tamen Stephanum hic non illico dicemus corruptum esse; quum enim scripserit ὡς Ῥιανὸς καὶ ἄλλοι, ex istis aliis videri potest Chlorum seu simile nomen inseruisse. *Quarti et septimi* libri duo restant versus apud Stephanum B. v. *Δωνεττῖνοι*, quos correxit Jacobsius in Anthol. gr. T. XIII. p. 946. In priore ἰδ' jam legitur in Bibl. Coisl. p. 206. Eodem loco Jacobsius versum *quarti* libri apud Stephanum B. v. *Παραύαιοι* emendat. De *Paravaeis*, gente Thesprotica, v. Palmer. Graec. Ant. p. 334. sed qui a Rhiano simul hic commemorantur *Omphalienses* Thessali fuerunt. Alium *quarti* libri versum Stephanus B. affert v. *Χαῦνοι*, in quo cum *Chaunis Cestreni et Elini* commemorantur; quae omnes videntur gentes fuisse Thesproticae. Pro *Κεστρῆνοὶ* putamus *Κεστρῖνοι* scribendum; de *Cestrinis* v. Palmerii Graec. Ant. p. 273 sqq. Ad hunc autem versiculum respicere Stephanum B. v. *Ἔλινοι* Jacobsius jam animadvertit. Ex eodem hoc *quarto* libro Stephanus testimonia repetivit v. *Ἀρκτᾶνες, Γενοαῖοι, Κέλαιθοι, Ὑπαιλόχιοι* et *Συλλίονες*, ubi pars versiculi servata legitur. Hae vero gentes fuerunt Chaonicae, Molossicae, Thesproticae et Epiroticae. In *quarto* et *quinto* libro Rhianus dixerat de *Ethnestis*, gente Thessalica, eamque nominatam esse de *Ethnesto*, Neoptolemi filio v. Stephan. B. h. v. Idem Stephanus ex libro hujus operis *octavo* v. *Ἀρτέμιτα* hoc habet: *ἔστι πλησίον τῶν Ὀξειῶν νήσων νῆσος Ἀρτέμιτα. Ῥιανὸς ἡ Θεσσαλικῶν.*

Νήσοις Ὀξείῃσι καὶ Ἀρτεμίτῃ ἐπέβαλλον.

Vulgo legitur *Ἀρτεμίῃ*, sed *τ* inserit Strabo I, 59 (159) ut Stephanus in praecedentibus. Has *Ὀξείας νήσους* Ortelius in Thesauro geogr. male interpretatur *Oxiorum insulam*, quum sint *Echinades*. Ex eodem

libro commemoratur apud Stephanum *Ὀνθύριον*, Thessaliae urbs circa Arnen cum gentili. Ex *novo* libro versus profertur in Stephano B. v. *φυλλοῦς* de urbe hujus nominis Thessalica. *Thamiam* Thessaliae urbem ex *quarto decimo*, *Tripolissios* autem Thesproticam gentem fuisse ex *quinto decimo* libro docet Stephanus h. v. Libri *sexti decimi* mentio fit in Steph. B. v. *Αἰγώνεια*, quam urbem Meliensium vel Maliensium Rhianus *Αἰγώνην* appellaverat. Ex quo intelligi potest, certe *decem sex* librorum fuisse haec Thessalica. Libri autem nescitur quoti versiculus affertur in hoc Scholio Veneto ad Iliad. II, 175: *τὸ εὔκνημις ἀμέλει ἐπὶ τῆς Ἀθηνᾶς τέτακται παρὰ Ῥιανῷ ἐν Θεσσαλικοῖς*

τοὶ δ' ἤδη ἐπὶ νηῶν εὐκνήμιδος Ἰτώνης.

In Gaisfordi Poet. min. gr. III, 275. Lips. corrigitur *νηὸν* a Bekkero autem *νηῷ*.

Operis nomine omisso sed, ut videtur, e *Thessalicis* haec afferuntur in Stephano B. v. *Φάληρον*. — *Ἔστι καὶ Θετταλίας πόλις πρὸς τῇ Οἴτῃ, ἣν Ῥιανὸς διὰ τοῦ α γράφει Φάλαρον λέγων.* cf. Strabo I, 60 (161) Liv. XXVII, 30. et de alia Thessaliae urbe *Phalora* h. v. *ταύτην Ῥιανὸς Φαλωρίαν καλεῖ.* De hac cf. Liv. XXXII, 15. XXXVI, 13. Deinde de *Agylla*, Tyrrheniae urbe, h. v. — *Ἔστι δὲ κτίσμα τῶν ἐκ Θετταλίας Πελασγῶν.* — *Ῥιανὸς δὲ Ἀγύλλιον εἶπε χαλκόν.* Salmasius in Solin. p. 60. et Berkelius corrigunt *Ἀγυλλῖνον.* Quod autem de *Echino* habet Stephanus, incertae sedis fragmentorum reliquiis inserendum putavimus. Denique e Thessalicis repetitum existimamus quod Scholia ad Euripidis Alcest. init. narrant, Rhianum dixisse, *Apollinem sua sponte Admeto serviisse amore ejus captum.*

III. *ΑΧΑΙΚΑ.* Haec nobis innotuerunt e Stephano B. ubi primum haec leguntur v. *Ἀπία, οὕτως οἱ νεώτεροι τὸ Ἄργος καὶ τοὺς κατοικοῦντας Ἀπιδόνας ἀπὸ Ἄπιδος τοῦ Φορωνέως, ὡς Ῥιανὸς ἐν Ἀχαϊκῶν δευτέρῳ*

Ἡμετέρη τοὶ τέκνα Φορωνέως [Τηλοδίκης τε]
Ἀρχῆθεν γενεή· τοῦ δὲ κλυτὸς ἐκγένετ' Ἆπις,
Ὅς ῥ' Ἀπίην ἐφάτιζε καὶ ἀνέρας Ἀπιδονῆας.

Quod Jacobsius in Anth. gr. T. XIII. p. 947. ita interpretatur: *Nostri generis principium petendum a liberis Phoronei; ex hoc Phoroneo natus Apis* etc. Ejusdem viri egregii conjecturae doctissimae debentur uncis inclusa, quum in vulgata post Φορώνεως sit ἦν δ' et lacuna. Apollodorus enim II, 1, 1. Apidem Phoronei et Laodices filium perhibet, sed in codd. est λοδικῆς et τηλοδίκης, quam codicum lectionem firmat Tzetzes ad Lyc. 177, qui sua ex Apollodoro hausit. Eustathius ad Dion. Per. 415. Rhiani locum a verbis κλυτὸς Ἆπις repetit praecedentibus omissis.

Deinde ex *eodem* libro v. Ἄτλαντες — Ῥιανὸς δὲ ἐν Ἀχαϊκῶν δευτέρᾳ Ἀτάραντας μετ' αὐτοὺς εἶναί φησι καὶ Ἄτλαντας, καὶ ὅτι οὐ βλέπουσιν οὗτοι ὀνείρους· quod repetivit Eustathius ad Dion. Per. 66. Atlantes autem somniorum expertes dici acceperat Rhianus ab Herodoto IV, 184. Tum *idem* liber citatur de Achajae urbe Βολίνη h. v. quam desertam noverat Pausanias. vid. VII, 23, 3. E *tertio* libro commemoratur urbs Φαιστὸς h. v. a Cretica distinguenda, et e *quarto* Σκόλις h. v. ejusdem regionis urbs.

IV. *ἩΛΙΑΚΑ*, non Ἰλιακά, quod vitium passim adhuc reperitur veluti in Reinesii Observ. in Suidam p. 218. in Fabric. Bibl. gr. I, 735. IV, 658. (adde Istri Fragm. p. 71.) et in Stephano B. sed apud eundem recte v. Νώνακρις, πόλις Ἀρκαδίας. Ῥιανὸς ἐν Ἠλιακῶν πρώτῳ. Hinc Berkelius in Stephano, ubi Ἰλιακὰ Rhiano tribuuntur, scripsit Ἠλιακά, ut v. Λαπέρσα, ubi montis Laconici ita dicti Rhianus mentionem fecisse perhibetur in Ἠλιακῶν πρώτῳ. Similiter v. Μέλαιναι, ubi de hac Arcadiae urbe ex *primo* libro Eliacorum Rhiani hic versus affertur:

Γόρτυν', Ἡραίαν τε πολυδρύμιους τε Μελαίνας.

ita enim Salmasius et Jacobsius restituerunt; apud Pausaniam VIII, 26 extr. haec urbs dicitur *Melaeneae*. *Tertium* Eliacorum librum testem adhibet Stephanus v. λιθήσιος, ὁ Ἀπόλλων ἐν τῷ Μαλέᾳ, λίθῳ προσιδρυμένος ἐκεῖ. Ῥιανὸς Ἠλιακῶν τρίτῳ. Ipsa haec verba Suidas repetivit Rhiani nomine praetermisso, atque etiam Phavorinus Λιθήσιον habet Apollinem, quanquam haec nominis forma dubia videri possit. Quod

enim Stephanus et Suidas addunt, ut a *Μάραθος Μαραθήσιος* ita et hoc nomen factum esse; id non congruit cum eo loco, ubi Stephanus ab Acarnaniae urbe Maratho dicit gentile duci *Μαραθούσιος, ὡς Κάδος Καδούσιος*, Gronovius addit *Λάμος Λαμούσιος*.

Eliacis non dubitavi subjungere illud Stephani B. v. *Ἀμυθαονία, μοῖρα τῆς Ἤλιδος ἀπὸ Ἀμυθάονος τοῦ Κρηθέως, ὡς Ῥιανός.*

V. *ΜΕΣΣΗΝΙΑΚΑ.* Messeniorum bellum Rhianus *ἐν τοῖς ἔπεσιν ἐποίησεν* Pausania teste IV, 6, 1. *Messeniacis* vero Rhiani longe majus quam caeteris ejus operibus pretium statuendum esse nobis videtur, quod iis se Pausanias in suis usum esse profitetur Messenicis. Quum vero Pausanias solus inter veteres scriptores pleniorem nobis bellorum Messenicorum narrationem reliquerit, e qua nobis eorum historia contexenda sit, eo magis in illius narrationis fide aestimanda quaerendum videtur, quae poëtae Rhiani fuerit in his rebus auctoritas. Si, quod plures jam dixerunt, Rhianus poëta historicus fuit (sic eum magis appellaverim quam cum Saxio in Onom. I, 110. poëtam et historicum), res quidem per traditionem famamque, quam satis diligenter servatam esse a Messeniis diximus ad interpretationem vernaculam Messenicorum Pausaniae; acceptas versibus ornavisse, non valde mutavisse aut affingendo corrupisse censendus est. Semel tantum notat Pausanias Rhianum a temporum ratione aberrantem c. 15, et in rebus Aristomenis, cui primae deferendae erant, Pausanias jam monuit cap. 6. eum usum videri amplificatione. Neque vero in omnibus sed in quibusdam tantummodo partibus suae historiae Rhianum sequi potuit Pausanias. Rhianus enim omnia nolens ab illorum bellorum initio ad finem perpetua serie persequi primum bellum Messenicum plane non attigerat, verum ea duntaxat, quae Messeniis post defectionem a Lacedaemoniis, quae bellum secundum incendit, evenerant. At neque haec omnia sigillatim perscripserat, sed quae post proelium gesta erant ad Fossam, quae Magna dicebatur, commissum; quod incidit in annum belli secundi tertium v. Paus. cap. 6. Res igitur partim mirabiles partim tragicas simulque providentiae divinae cura et fatorum

vi insignes canendas sibi sumsit Rhianus, inprimis Irae expugnationem et quae eam sequuta sunt. In quibus narrandis fortasse Pausanias ejus legit vestigia, quae maxime in Theocli verbis cap. 21, ubi etiam more poëtico Infinitivus pro Imperativo positus in clausula exitum refert hexametri, *σώζειν δὲ καὶ αὐτόν*, et in ipsius Aristomenis oratione c. 22. 23. videntur deprehendi: ac fortasse eodem pertinet locus de Aristomene et Theoclo c. 21. *ἐπιόντες τὴν πόλιν* etc. quae certe Homericis Il. IV, 231 sqq. similia sunt. Quo usque autem Rhianus res Messeniorum persequutus sit quanquam non potest, quum desint testimonia, definiri, tamen quae ea de re proposita est opinio qualis sit licebit nobis quaerere. *Müllerus* enim vir summo opere nobis colendus in Dor. I, 152. significat, se suspicari *sextum* Messenicorum Rhiani librum fuisse ultimum. Idem mihi antea placuit putanti, Rhianum hic extrema Aristomenis fata cecinisse in Rhodo mortui ac sepulti. Reputanti autem Rhianum non *Ἀριστομενικὰ* sed *Μεσσηνιακὰ* conscripsisse, videbatur ille mihi ultra Aristomenis tempus narrationis filum deduxisse usque ad civitatem Messeniorum in Peloponneso restitutam et urbem Messenen conditam. Quod ut opinarer illi fecerunt Pausaniae loci, ubi narrat Messenios Naupacto profectos de Oeniadis pugnasse cum Acarnanibus c. 25, ubi somnia Comonis, Epaminondae et Epitelis refert c. 26, ubi de Dioscurorum ira in Messenios suscepta et deposita, et de urbe Messene aedificanda c. 27. loquitur; in quibus mihi videbar luculentioris expositionis vestigia animadvertere. Itaque nescio an quod Pausanias c. 29. extr. dicit, se hactenus in hoc quarto libro multa illa Messeniorum infortunia stylo persequutum esse, et quemadmodum eos Deorum numen in extremas terras actos, et in loca a Peloponneso remotissima dispersos in pristinas sedes reduxerit, idem fere propositum fuerit Rhiano. Qui si haec suis complexus fuerit Messenicis, plurium ea quam *sex* librorum fuisse probabile est. Caeterum Rhianus Aristomenis aetatem ad belli secundi tempora depressit, in quo eum sequutus est Pausanias, qui tum Ardyn Lydiae et Phraorten Medorum reges, tum Damagetum Rhodium Jalysi regem Aristomenis aequales habuit c. 24, 1.

Quod autem teste Pausania c. 6. Rhiano in suo poëmate Aristomenes nihilo fuit obscurior quam Homero Achilles in Iliade, id justam quandam excusationem habet; maxima enim inter Graecos gloria semper floruisse Aristomenem, ex eo potest intelligi, quod non modo Graecorum sui temporis longe optimus dictus habitusque est (Paus. c. 24), sed ipse etiam Polybius, scriptor non contemnendus, bellum Messenicum secundum appellavit IV, 33. *Aristomenium;* et adhuc Pausaniae aetate a Messeniis Aristomenes heroicis colebatur honoribus. v. Paus. c. 14. p. 314. c. 24, 1. 27, 4. Huc accedit quod nobili genere Aepytidarum ergo etiam Heraclidarum ortus fuit (Paus, c. 15. p. 316); ex quibus intelligitur, cur Graeci tanto studio omnia indagaverint ad ejus gentem pertinentia, ut non modo parentes sed etiam liberos, generos et sororis maritos possent recensere. Mirum autem ne videatur, quod homo Cretensis Messenium virum tantis extulerit laudibus, nam quae olim inter Cretenses et Lacedaemonios obtinuerat conjunctio, ejus vincula videntur jam Rhiani tempore fuisse soluta ac sublata. Rhiani lapsum in Leotychidae aetate a Pausania notatum esse monui, fortasse tamen ab illo poëta hic Periegetes sibi imponi passus est in *Anaxilao* ad belli secundi finem referendo c. 23. Sed de his quidem satis, nunc dispersas hujus poëmatis reliquias e veterum scriptis colligamus.

Liber I. Ἰρά, ὄρος Μεσσηνίας. Ῥιανὸς ἐν Μεσσηνιακῶν πρώτῳ Steph. B. Hic mons cum oppido cognomine apud Pausaniam IV, 17. p. 323. *Εἶρα* vocatur. De *Ira* libro primo cecinisse Rhianum probabile est; nam clade ad fossam magnam accepta Messenii se hunc in montem receperant; at vero ab his rebus duxit Rhianus sui carminis exordium, v. Paus. c. 6. Ac nescio an ex eodem libro excerptum sit quod apud Pausaniam c. I, p. 281. legimus, Rhianum tradidisse, *in agro Messenico saltum esse Lyci nominatum.*

Liber IV. Steph. B. Δώτιον· τὸ θηλικὸν Δωτῆτις. Ῥιανὸς ἐν δ' Μεσσηνιακῶν

Ἀνδρὶ εἰσάμενος Δωτῆτι Νικοτελείῃ.

ita legitur in Bibl. Coisl. p. 289. C. O. Müllerus jam adnotavit in Dor. II, 536. Pausaniam, qui idem nomen dedit *Aristomenis matri* IV, 14. p. 314., id a Rhiano accepisse. Sed unde haec *Δωτῆτς* cognominata? Vt breviter quod sentio aperiam, *Dorium*, urbs Messeniae, non procul ab Andania situm, aliis *Dotium* dictum est. v. Orum in l. c. Stephani; itaque *Δωτῆτς* erit ex urbe Messenica Dotio seu Dorio oriunda. Quod cui non placet, ei hoc vocabulum *Thessalam* interpretanti vix obloquar, quum *γῆν Δωτιάδα* Antimachus et Apollonius Rhodius Thessaliam dixerint apud Stephanum l. c. Si quis autem hoc nomen a *Dotada*, Messeniorum rege ex Aepytidarum genere (Paus. c. 3. extr.), duceret, a paucis audiretur.

Hic locus videtur postulare, ut de *patre* etiam *Aristomenis* dicamus. A Pausania c. 18, 2. notantur qui Aristomenis res magnificentius extollunt, et qui hoc studio ducti narrarunt, quum a Lacedaemoniis in Caeadam iujectus esset, eum ab aquila, quae cadentis corpus passis alis subierit et sustinuerit, delatum esse ad ejus barathri ima omni ex parte integrum et incolumem. Qui hoc colore poëtico illam rem illustrarunt, in iis esse potuit Rhianus, vere eum fuisse nemo dixerit. Iis autem, qui Aristomenis res splendidiores reddere studuerunt, accensendi videntur esse mirabilia de ejus origine narrantes apud Pausaniam c. 14, 5. Hi enim cum matre ejus *Nicotelea* daemonem quendam seu deum sumta draconis forma concubuisse memorarunt. Fabula huic similis Aristodamam Aratum e dracone concepisse, hunc vero Aesculapium fuisse tradidit apud Pausaniam II, 10. p. 134. Rhianum tamen Aristomeni patrem affinxisse Aesculapium, equidem non crediderim; quum enim Messenios ipsos Aristomenem Hercule vel Jove genitum praedicasse neget Pausanias c. 14, credibile non est, tale quid ausum esse Rhianum fingere, quae inter Messenios obtinuit famam cunctatum, ut videtur, evagari. Quodsi in Aristomenis patre fecisset, id Pausaniam hoc ipso loco, ubi de eadem re loquitur, significaturum fuisse arbitramur. Itaque quod in Anth. Pal. T. I. p. 277. de *Gorgo* quodam Asclepiadis filio legitur epigramma Rhiani, an de Aristomenis filio intelligendum

sit dubitamus. Messenii ipsi in libationibus Aristomenem invocantes filium appellarunt *Nicomedis* (victoriam meditantis et deportantis), plerique autem Graecorum Aristomenis patrem *Pyrrhum* quendam nominarunt teste Pausania c. 14.

Quarti vel Quinti libri videntur fuisse duo illi versus apud Pausaniam c. 17. extr. qui sunt de undecim annis, per quos in monte Ira Messenii a Lacedaemoniis obsessi sunt.

Liber V. Steph. B. *Φιγαλέα, πόλις Ἀρκαδίας. Ῥιανὸς ἐν ε Μεσσηνιακῶν*

τὴν μὲν ἀνήγετ' ἄκοιτιν ἐπὶ κραναὴν Φιγάλειαν.

Hoc intelligendum est de *Tharyce* Phigalensi, qui Aristomenis sororem *Hagnagoram*, post mortem mariti Euergetidae viduam (Paus. c. 21. 23.), ergo post Irae expugnationem in matrimonium duxit v. Paus. c. 24. Quod equidem non contemserim ut levem famam, quum Messeniis tum extorribus Arcades non modo tecta cum ipsis habitanda sed etiam civitatem atque filias suas nuptum dederint ipso testante Polybio IV, 3.

Liber VI. Steph. B. *Ἀτάβυρον ὄρος Ῥόδου· Ῥιανὸς ἕκτῳ Μεσσηνιακῶν.* In excelso cacumine hujus montis, qui Straboni XIV, 655 (609) *Atabyris* dicitur, fuit Jovis Atabyrii templum, quod adhuc Diodori aetate eximio honore colebatur, et unde prospectus patebat usque ad Cretam. v. de eo S. Bocharti Chanaan. lib. I. cap. 7. p. 397. Sed idem Stephanus v. *Κρητηνία* habet in Rhodo *Ἀρταβύρια ὄρη* et inde dictum *Jovem Artabyrium.* In hoc sexto libro Rhianus Aristomenis et migrationem in insulam Rhodum cum filia, quam *Damagetus* Jalysi rex duxit (cf. Boehck. ad Pind. O. VII. p. 165), et diem supremum, quem ibi obiit, et honores, quibus eum mortuum auxerunt Rhodii, videtur cecinisse. cf. Pausanias c. 24, 1. qui Aristomeni mortuo insigne sepulcrum a Damageto Rhodiisque factum narrat. Erit fortasse qui hoc quoque a Rhiano vel aliis poëtis fictum a Pausania temere susceptum esse dicat: sed ei Antipatri Sidonii epigramma in Aristomenis sepulcrum in Anth.

Pal. T. I. p. 350. obstabit, quo traditur aquila hujus Aristomenis tumulo imposita dicere, se praestantem illius viri fortitudinem significare: Jacobsius negat se scire, num revera ejus tumulus aquila insidente ornatus fuerit; quae confessio prae se fert dubitationis speciem. Quodsi hoc nulla causa addita in dubium vocamus, eodem jure dubitare licebit, an tumulus vel Platonis aquila, vel Teleutiae leone, vel Sophoclis Sirene fuerit condecoratus, quanquam has effigies eorum sepulcris adjunctas fuisse legamus in Diog. L. III, 44, in Anth. Pal. T. I. p. 324. ibid. p. 434. et in graeca vita Sophoclis. An solum leonis signum in Thebanorum, qui in acie contra Philippum ceciderant, sepulcro a Pausania IX, 40, 5. commemoratum auribus nostris fidem faciet, quoniam nostris temporibus pars hujus ipsius signi detecta oculis cernitur? Aristomenem in Rhodo mortuum sepultumque esse inter Messenios quoque constans fama fuit, qui in urbe sua Messene sepulcrum ejus ostendentes narrabant, se ejus ossa e Rhodo deportata hic sepelivisse v. Paus. c. 32.

His adjungendus est locus Stephani B. v. Ἀνδανία, ubi gentili Ἀνδάνιος usus esse dicitur Rhianus fortasse de Aristomene, qui ibidem ex *Andania oriundus* traditur. Maxime autem mirum est quod Stephanus addidit, *Aristomenem Lacedaemonios saepius ab eo victos quum tandem cepissent, dissecuisse ejus ventrem seu pectus visuros, num prae caeteris aliquid singulare haberet; invenisse autem intestina non naturalem formam habentia et cor hirsutum.* Cui fabulae, quam Pausanias cum contemtu praetermisit, alii tamen repetiverunt, sed jam Coelius Rhodiginus lib. IV, c. 16. explosit, Stephanus tamquam auctores addit Herodotum, Plutarchum et Rhianum. Sed quo magis appareat, quam valde haec in Stephano corrupta sint et quam male contracta, ipsa placuit adjungi verba quomodo vulgo leguntur: *ἐν ταύτης (Ἀνδανίας) Ἀριστομένης ἐγένετο ἐπιφανέστατος στρατηγός. τοῦτον οἱ Λακεδαιμόνιοι πολλάκις αὐτοὺς νικήσαντα θαυμάσαντες, ὡς μόλις ἐκράτησαν ἐν τῇ Μεσσηνιακῇ, ἀνατεμόντες ἐσκόπουν εἰ παρὰ τοὺς λοιπούς ἐστί τι. καὶ εὗρον σπλάγχνον ἐξηλλαγμένον, καὶ τὴν καρδίαν δασεῖαν, ὡς Ἡροδότος*

καὶ Πλούταρχος καὶ Ῥιανός. Primum enim Rhianum de Aristomene occiso atque secto memoravisse, parum est credibile; itaque quod ad hunc quidem pertinet, nisi ad ea, quae hic praecedunt de Aristomenis patria, nomen Rhiani referri non poterit; atque in hoc Rhianum Pausanias recte sequutus est: nam quod Fulgentius auctore nescio quo hunc Aristomenem Gortynensem dixit, silentio potuit praetermitti. Vtrum autem Aristomenes a Spartanis interfectus sit nec ne, Müllerus in Dor. I, 152, in medio relinquendum putavit, quum tamen qui ejus caedem narrant, iis haud ita multum tribuendum esse videatur. Repugnat etiam quod de Aristomenis sepulcro et aquilae signo illi imposito paulo ante allatum est. Deinde perperam Plutarcho additus est Herodotus, quum solus possit Plutarchus intelligi, qui in libro de Herodoti malignitate c. 11. p. 291. Hutt. vol. XII. Herodoto reprehenso, quod eo judice neque Jo rapta, neque Scedasi filiae vitiatae essent, nisi ipsae hoc fieri voluissent, pergit: *καίτοι καὶ Ἀριστομένη φησὶν αὐτὸς* (scil. Herodotus) *ὑπὸ Λακεδαιμονίων ζῶντα συναρπασθῆναι.* Ex his Plutarchi verbis, quorum priscam depravationem Kaltwasserus non animadvertit, arreptum est quod in hoc Stephani loco de Herodoto, qui hac de re nusquam loquutus est, legitur. Herodoti igitur mentionem ex his graecis Plutarchi verbis plane exterminandam legendumque esse *φασὶν αὐτὸν,* statim in oculos incurrit; neque mirum, quod in eandem incidit emendationem Müllerus in Dor. I, 142. Ita autem hunc Stephani locum emendandum putamus: *ἐκ ταύτης Ἀριστομένης ἐγένετο ἐπιφανέστατος στρατηγὸς, ὡς Ῥιανὸς ἐν τοῖς Μεσσηνιακοῖς. τοῦτον οἱ Λακεδαιμ — μόλις ἐκράτησαν, ἀνατεμόντες — καὶ Πλούταρχος.* Quam recepimus lectionem *τοῖς Μεσσηνιακοῖς,* ea est codicum, locum autem, quem his verbis dedimus, aptiorem esse quam quem in vulgata habent, facile intelligetur. — De *Echino* in proximis, item de *Physco.*

Atque haec habui quae ex Rhiani Messeniacis afferrem; his ea subjungi placuit, quae quorum operum essent liquido a me definiri non potuit.

Schol. Apoll. Rhod. III, init. *Ῥιανός φησι μηδὲν διαφέρειν, εἰ μίαν τις ἐπικαλεῖται τῶν Μουσῶν· πάσας γὰρ διὰ τῆς μιᾶς σημαίνει. Λέγει δὲ οὕτως*

Πᾶσαι δ' εἰσαΐουσι μιᾶς ὅτε τοὔνομα λέξεις.

quae quin in limine alicujus carminis posita fuerint, vix potest esse dubium.

Steph. B. *Ἀράκυνθος, ὄρος Βοιωτίας, ἀφ' οὗ ἡ Ἀθηνᾶ Ἀρακυνθίς, ὡς Ῥιανὸς ἐν τῇ φήμῃ*

Κλῦθί μοι εὐχάων Ἀρακυνθιὰς εὐπατέρεια.

De mutanda lectione *Βοιωτίας* cum Berkelio nunc nemo cogitabit, qui quae ad Virgil. Ecl. II, 24 a VV. DD. adnotata, et a Müllero in Orchomeno p. 33. scripta sunt legerit. *Aracynthi* nomen rectene interpretatus sit J. H. Vossius ad l. l. Virgilii, alii videbunt. Hunc Aracynthum etiam *Actaeum* appellatum (Virgil. l. c.) Minervae sacrum fuisse, praeter nostrum locus Statii docet Theb. II, 239 et Sidonii, quem ibi Barthius recitat. Pro *Ἀρακυνθίς* Berkelius *Ἀρακυνθιὰς* scribi voluit. Quid autem *ἐν τῇ φήμῃ* significet, equidem non possum invenire; num *in invocatione*, quam hoc nomine poëta alicui carmini praefixit? an singulare carmen fuit hujus nominis? an vero pars alicujus poematis *ἡ φήμη, fama*, dicta est ut locus Iliadis IX, 502 sqq. *αἱ Λιταὶ* in Schol. Ven. XIX, 94? Quid igitur, licetne sumere fragmentum hoc esse *Heracleae?* Boeotia, cujus fuit Aracynthus, et Minerva, quae Herculis tutela fuit Thebani, hoc nobis videntur quodammodo suadere. His adde quam Bekkerus cepit conjecturam a nobis, ubi de Heraclea Rhiani dicendi finem fecimus, propositam, Rhianum *famam*, qua Juno in Hercule nascendo usa ferebatur, narravisse testantibus Scholiis Homericis laudatis. *Φήμη* igitur hic esset, quod *κλέος* in illo Homerico, *ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν.* Qui ad corrigendum procliviores sunt, fortasse volent legi *Ῥιανὸς ὁ ἐκ Βήνης* vel *ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ.*

Idem. *Ἔχῖνος, πόλις Ἀκαρνανίας, Ἐχίνου κτίσμα. Ῥιανὸς Ἐχίονος ἄστυ ταύτην εἶπεν.* Hoc non dubitabis e *Messeniacis* excerptum dicere, belli memor, quod Messenii Naupactum habitantes contra Acarnanes gesserunt. v. Paus. IV, 24. 25. Apud. Strabonem IX, 435 (610) videtur

esse haec urbs Thessaliae, cui illam Tzetzes quoque ad Lyc. 904 attribuit. Ita hoc esset fragmentum *Θεσσαλικῶν*. Illud tamen, si hic Echinus s. Echion vates fuit Acarnan (v. Steph. v. *Ἐχῖναι*), videbis esse probabilius.

Idem. *Φύσκος, πόλις Λοκρίδος ἀπὸ Φύσκου τοῦ Αἰτωλοῦ — Φύσκος δὲ, ἀφ᾽ οὗ οἱ Λέλεγες οἳ νῦν Λοκροί. Ῥιανὸς δὲ Φυσκέας αὐτοὺς καλεῖ.* Hoc in *Messeniacis* lectum esse existimo, quum *Naupactum* urbem aliis Aetoliae aliis Locridis dictam Athenienses Locris Ozolis ademerint, et Messeniis habitandam dederint. v. Paus. IV, 24 extr.

Idem. *Μάκρυες, ἔθνος Λιβύης. Ῥιανὸς δὲ Μάκριας διὰ τοῦ ι τούτους φησίν.* Hos Rhianus vel in *Heraclea* vel in *Messeniacis* commemoravit. v. Paus. IV, 26. qui narrat, maximam Messeniorum, qui Naupacto ejecti erant, partem ad Euesperitas in Libya migrasse.

Pollux II, 37, 180. *Τοὺς σπονδύλους Ῥιανὸς καὶ κύβους ὠνόμασεν,*

Αὐχένος ἐξ ὑπάτοιο κύβοις ἐπιτέλλεται ἰξύς.

ubi antea *Ἀῤῥιανὸς* legebatur.

Stobaeus Flor. T. IV, p. 54. Gesn. viginti versus hexametri et unus. „Ex longiore procul dubio poëmate. Orationis cujusdam particulam esse suspicor.“ Jacobsius, qui hujus fragmenti argumentum paucis ita exponit: *Diversis deorum muneribus non ita, ut sapientes decet, sed stulte fruimur. Pauperes paupertatem suam exprobrant diis, neque virtutis suae memores nimis abjecto et ignavo sunt animo; divites contra in alteram partem peccant, altius quam pro humana sorte spirantes. Quare Ate, Jovis et Justitiae ministra, eorum vestigia persequuta quae stulte fecerint punire solet.* Repetitum correctumque legitur hoc fragmentum in Jacobsii Anth. gr. I. p. 479. et in Gaisfordi Poet. min. gr. vol. III.

Epigrammata quoque Rhianum scripsisse notum est, quorum quae in Anthologiam graecam recepta sint, indicatum est a Jacobsio in Animadv. in epigr. Anth. vol. III. P. III. p. 945. et in Anth. Pal. T. III. p. 1018. adde Fabr. Bibl. gr. II, 735. IV, 493 sq. Hinc citatur Rhianus *ἐν Ἐπιγράμμασιν* ab Athenaeo X, p. 499 d.

Sed de his hactenus; nunc ad id, cujus causa haec scripsimus, transeundum est. Indicenda enim nobis sunt *Maettigiana* Solemnia d. XXII. Martii repetenda, et *tentamina* proximis diebus instituenda, quibus, quos progressus in literis nostri habeant discipuli, explorabitur. Ad utraque celebranda et *Summos rei scholasticae in provincia nostra Rectores, et gymnasii nostri Patronos Fautoresque, et discipulorum nostrorum parentes atque cognatos* pro sua quemque dignitate observantissime invitamus. Quem horum solemnium ac tentaminuum ordinem tenebimus, eum index additus ostendet, qui vernacula lingua scriptus est, simulque brevem rerum scholasticarum hujus anni narrationem continet. P. P. d. XXI. Martii MDCCCXXIX.
